



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viridarivm Sanctorvm

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

Rader, Matthäus

Avgvstae Vindelicoꝝ, 1607

S. Simeon Stylita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43013

vero Comanū attigere, ad præfidē sanctus
adiit, à quo frustra ad sacrificia idolorū so-
licitatus è cælo per preces ignē deuocat,
quo fanum idolorum signumq; Apollinis
conflagrauit. Quare immēso furoris œstro
concitatus præses, actutum caput martyris
ferro demeti, corpus in profluentem abiici
imperat. Ita Sanctus ad Dei nostri laudem
& gloriam amplificandam martyrij diade-
mate est insignitus.

A N N O T A T I O.

Isdem prope verbis in Menologio Basiliscus hic
describitur. Palladius in vita S. I. Chrysofomi
affirmat hunc fuisse Episcopum in ponto Comani.
Plura de hoc Theodor. lib. 5. historiar. Nicepho-
rus & alij.

S. SIMEON STYLITA.

Vixit hic Iustini senioris imperio, natus
Antiochię Syrię, patre Ioanne Edeffa-
no, matre Martha, Antiochię educus.
Quę sequuntur omnia miraculis plena,
quę partim accidisse illi, partim ab illo de-
signata, omnia prope supra humanam con-
ditionem dicuntur. Per preces enim in v-
tero conceptus est. Quin & priusquam cõ-
ciperetur, Ioannes Baptista Christi prodromus,
matri futuram pueri sanctimoniam
P 5 prædixit,

prædixit. In lucem editus à sinistra matris
 papilla semper abstinuit. quod certū erat
 argumentum puerum ad recta semper stu-
 dia, declinatis omnibus prauis & sinistris
 actionibus, progressurum. Sexto porro æ-
 tatis año, quo tempore propter animi im-
 becillitatē pueritia adhuc à seriis negoti-
 is vacat, & temerè obuia consecratur, hic
 tamen omnibus præsentibus ac humanis
 rebus contemptis montem conscendit, &
 breui tempore ad vitæ asperitatem, & om-
 nia incommoda adsuevit. Vnde frequen-
 tibus dignatus Dei cœlitumque aspectu &
 consuetudine, à quibus, propositis, quæ se-
 quenda essent studiis, quid agendum foret
 docebatur. Hinc, quod supra naturæ con-
 ditionem est, non amplius humanis viue-
 bat alimentis, sed cœlesti pascebatur am-
 brosia, quoad vitæ modum faceret, atque
 ad Christum abiret. Sed hæc omnia cum
 innumerabilibus eius miraculis, in historia
 largè exponuntur. Enimvero hoc vnum
 præ ceteris insinuandum puto, quod à te-
 neris relicto sæculo, primū cœnobium sit
 ingressus, in quod ex monte, quem sexen-
 nio toto incoluerat descendit, vbi colum-
 nam ascendit, in qua annos duodecim mo-
 ratus, rursus in admirandam rupem sterili
 saxo

saxo asperrimam digressus, decem ibidem annos posuit. Postea in tenui columna, annos quinque supra quadraginta traduxit, ita ut vniuersæ vitam ad quintum & octogesimum propagarit, ex quibus nouem supra septuaginta cœlestium ritu sine mortali victu, in arcta religionis disciplina, & patientia transegit, & mortis somno positus in cœlitum ordinē, & censum dignitatemque est redactus.

ANNOTATIO.

Simeones Stylitæ plures feruntur, natu maximus, & à sanctitate vitæ celebratissimus est hic de quo agimus, cuius laudatores varios & scriptores plurimos memorat Baronius in Fastis Martyrum 5. Ianuarij, ad quem locum te mittimus, vbi de hoc plurima, de aliis duobus obiter nonnulla, Obserua aliud esse Stelitam, & aliud Stylitam, *σῆλη* est sepulchralis cippus: Stelites, stelæ ob infamiam inscriptus. *σὺλ* est columna, & *σὺλίτης* seu stylita in columna collocatus, degensque. Interpres ergo Palladij haud satis cautè *σὺλίτην* vertit stelitam, nisi forte in codice Græco pro *σὺλίτης* legerit *σῆλίτης*.

Cæterum hunc Simeonem reor auctorem fuisse Stylitarum, eius enim exemplum, ut Cedrenus narrat, mox secutus est Daniel. & deinceps æuo posteriores. In anno Iustini error est, neq; enim ad Iustinum imperatorem Simeon peruenit, qui anno quarto Leonis, Christi CDLX. è columna cœlum ascendit.

S. ISA.